

<VENIAT CUCULUS>

**R**ESTAT, quoad tertium, nostri determinantis gracia virtuose operatio-  
nis laudem attolere, laboris eius merita non negando. Nam si is, qui virtuose  
longis temporibus se virtutibus et studiis exercuit, merito si laudis privetur ti-  
tulo, quis, inquam, virtutibus inheredit, cum vulgare clamat continue pro-  
verbium:!

„Me gravat ille labor, quem premia nulla secuntur,“

sicut et Alanus<sup>2</sup> in suis Problematibus testatur dicens:

„Quid prodest arare solum vel scindere vitem,  
cum nichil <hoc> frugis, nil habet illa meri.“

Merito ergo virtutum decore et studiorum flore insigniti pre ceteris digna laude  
sunt pro meritis premiandi. Sed quia nullus virtuosus honori se prius debet  
ingerere, nisi prius <ad> excellentiam honoris invitetur, sicut nec quisquam ab  
excellencia debet discedere, nisi repulsam paciatur – propter quod virtuosus in-  
vitatur ad honorem, turpes vero et viciosi repelluntur ob errorem, eo quod

secundum Aristotelem<sup>3</sup> in Poetra, laus bonis, vituperium malis coequatur. „

Sicut et Cassiodorus<sup>4</sup> libro 5<sup>o</sup> Epistoliarum, epistola 2<sup>a</sup> ait: „Bonos laus, ma-  
los querela comitatur. [Sicut et Cassiodorus libro 5<sup>o</sup> Epistoliarum, epistola 2<sup>a</sup>

ait.] Omnes igitur virtuosus ad premium. Sed quia noster presens  
determinans virtuosus est, acta ut probant et merita, igitur ad premium invi-

tatur. Pro ipsius igitur laude et merito michi verba presencia occurrunt:  
Veniatur cuculus, clarissimus ales. Que verba scribit poeta eximius Naso

Ovidius in libello suo, quem De kukulo appellavit.  
Reverendi magistri et domini! Quamvis predicta, ut ibidem tradit Ovi-

dius, sint ipsius Veris ad cuculum, eo quod in vere conveniant pastores una  
die sub umbram, de quorum numero erant duo, scilicet Athus et Palemon, qui

laudabant cuculum. Tandem venit Ver  
„florigero<sup>5</sup> succinctus scemate,“

venit et

„Vemps<sup>6</sup> rigidis ursora capillis.  
Hiis certamen erat cuculi de carmine grande.“

Nam Ver laudavit kukulum, sed Yemps vituperavit. Unde Ver tres protulit versus dicens:<sup>8</sup>

„Opto meis, veniat kukulus, clarissimus ales.  
Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes  
in silvis modulans ritu bona carmina rostro.“

Yemps vero vituperavit kukulum optans, ne veniret. Dixit:<sup>9</sup>

„Non veniat kukulus, generat quia forte labores,  
omnia disturbat: pelagi terreque laborant,  
prelia continuat, requiem diffundit amicam.“

Ecce, res mira agitur de kukulo: invitat et laudat Ver kukulum, repudiat et vituperat Yemps. Sed quid, si volumus parumper perpendere? Lis fit de kukulo, Palemon preses Yemis causam dampnat, Veris laudat et approbat dicens:<sup>10</sup>

„Desine plura modo, Yemps.“

Ecce inponit silencium Yemi. Eciam veniet kukulus. Ecce sententiam prebet Veri, propter quod bene invitabat Ver kukulum dicens: Veniat cuculus, clarissimus ales.

Que verba nostro actui possunt deservire. Quid enim ver [quid enim ver] nisi studii diligencia, et quid yemps, nisi studii negligencia? Kukulus – noster presens determinans – a diligencia vocatur, a negligencia vituperatur, cui voluit consentire, et lite facta de kukulo, id est examine de ipso, fert Palemon, id est diligens examen, sententiam, ut veniat kukulus, clarissimus ales. Sed mira res agitur: „Homo kukulus appellatur?“, inquis. Hic est kukulus, nam si kukulus, igitur avis, igitur irrationalis. Ad primam consequentiam potest dici primo negando consequentiam, cum non omnis kukulus sit avis. Nam quidquid dicit kuku kuku, hoc est kukulus; noster autem determinans protulit sepissime kuku kuku; igitur est kukulus. Attamen figurative et ex similitudine ipsum kukulo proposui simile, ut exemplum bonum appareat virtutis et premietur, malum elucescat; ut bonitas confortetur et vicium prescindatur. Unde kukulus agricolas vocat ad laborem, frigora repellit et torporem, agros vestit, fert flores, pastores letificat, domos edificat, canit pulchre, annos distribuit, niger est colore, mediocris stature, rubum diligit, macer in corpore, longus in cauda, fugit umbram, Phebum letificat. Hec omnia patent<sup>11</sup> in libello De kukulo.

Noster autem presens determinans nomine monet agricolas, id est studentes, ad laborem studii, dicens cum *Cathone*:<sup>12</sup>

„Discere ne cesses: cura sapientia crescit,  
rara datur longo prudentia temporis usu.“

Secundo kukulus vestit agros. Unde *Ovidius*<sup>18</sup> *De kukulo*:  
„Et generet soboles, letos et vestiat agros.“

Noster determinans vestit agrum suum virtutibus, scientiis et moribus et specialiter, quamvis apparet humilis, tamen vestit agrum suum multiplicibus topulis cum diversis manicis, pedes diversis calligis et sotularibus, sicut patet michi et suis sociis. Ex quo iudico, quod vel cupit procarari vel sciens apparere.

In primo audit *Marcialem*<sup>14</sup> cocum dicentem:  
„In tenui panno nulla est facundia, Pelen,  
sed cum purpurea veste parata venit.“

Pro secundo audit *Facetum*<sup>15</sup> dicentem:  
„Vir pulchre vestitus pro vestibus esse pertus  
creditur a mille, quamvis ydiota sit ille.“

Sed ipse sepius dixit, quod propter aliam causam se sic vestit allegans *Facetum*<sup>16</sup> dicentem:  
„Exornet corpus, ne contempnatur ab ullo,  
Non tamen officium deserat ipse suum.“

Tercio kukulus fert flores dicente *Ovidio*:<sup>17</sup>  
„Quique ferat flores kukulus vel mella ministrat.“

Hic vero vetus kukulus flores ferens scientiarum et virtutum, de quibus dicit auctor<sup>18</sup> generalissimus:  
„Hos morum flores si carpseris, ut rosa flores,  
et *Galtherus*<sup>19</sup> in *Allexandreidos* libro 1<sup>o</sup> de floribus bonis sic inquit:  
„Quem virtus extollit, habet quod preferat auro.“

Quarto kukulus letificat dicente *Ovidio*:<sup>20</sup>  
„Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes.“

Et quid hic? Nomen letificat sepius magistros? Vno ante longa tempora letigissem sibi illud dictum:  
„Ergo<sup>21</sup> discipuli letum servare magistrum  
perstudiant, ut sic grata dogmata sumant.“

Et ipse coram multis magistris cantavit et agillisavit audiens *Ovidium*<sup>22</sup> *De remedio dicentem*:

„Si vox est, canta, si brachia mollia, salta.“

Ecce kukulus letificans!

Quinto kukulus annos distribuit, nam secundum opinionem pastorum, dum kukulus incipit kukulare, si quis quesierit a kukulo dicens: ‚Kukule, quot annos ad vivendum vis michi dare?‘, et quociens kukulus responderit kuku kuku, tot et annos vivendi pastor querens deputavit. Exinde forte trahitur, quod senes, qui parum debent vivere, raro proferunt kuku, iuvenes vero tamquam naturaliter prescii longe vite dicunt ad se mutuo sepiissime kuku kuku. De quibus est noster presens determinans, qui non tantum kuku kuku, sed frequentissime desiderans bibere protulit mama, pitu pitu.

Item sexto hic eciam niger et macer modo kukuli, in quo eius constancia et temperancia designatur. Nam secundum Ovidium<sup>23</sup> libro 2° Metham. corvus prius erat albus, sed mutatus est in nigrum. Sic hic de inconstancia ad constanciam. Albi enim inconstantes sunt teste Vergilio<sup>24</sup> in Buccolicis dicente:

„O formose puer, nimium ne crede colori.

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.“

Ecce, alba cadunt, id est deficiunt a constancia, nigra vero leguntur, id est colliguntur, id est constantes in sportam facultatis nostre arcium. Sed diceris: ‚Tu es macer, et tales non sunt bene dispositi.‘ Dico, quod illi sunt optime dispositi principaliter a<d> duo, scilicet ad scienciam et virtutes, et tercio ad facilliter omnia operandum. De primo dicit Cato:<sup>25</sup>

„Herbarum vires Macer tibi carmina dicit“

– ecce, sciens. De secundo, quod incautum est esse pigwem, ostendit Oracius<sup>26</sup> Epistola 7<sup>a</sup> ponens, quomodo vulpecula macra intraverat horreum per foramen et ibi depasta in pulli non poterat exire. Ideo dicit ibi:

„Ire<sup>27</sup> foras pleno tendebat corpore frustra.“

Sed mustela, amica eius, dedit ei consilium dicens:<sup>28</sup>

„Si vis, ait, effugere instinc,

macra cawum repetas artum, quem macra subisti.“

Ecce, proficuum esse macrum ostenditur, sicut noster presens determinans cernitur. Vero, ne nimis macer appareat, ioppam stuppna in pectore duplat; ne caliga decidat, septem ligis caudulam ligat; plantula si deficit, straminibus ocreas implet. Propter quod kukulo, ut predixi, eo quod macer, verissime similatur.

Sed dicet aliquis: ‚Tu laudas kukulum et solum virtutes eius enumeras, de viciis autem, que Yemps ascribit kukulo, verba suffocas et taces.‘ Respondeo, quod cupio edisserere vicia kukuli, ut exinde cognoscatur virtus Martini, namque per oppositum cognoscitur omne bonum. Kukulus autem, ut patet in libro De kukulo, primo libenter dormit et est piger. Unde Yemps contendens cum Vere dixit:<sup>29</sup>

„Non veniat kukulus, sed nigris dormiat antris.“

Hic kukulus est noster determinans, de quo dicit Gamfredus<sup>30</sup> in sua Poetria:

„Scisne moram pigri?“

scilicet kukuli Martini.

„Si mane citetur, obaudit.

Si citetur aduc iterata voce sonora,  
nare vigil stertit tandemque timore coactus,  
ore tamen lento lingvam movet et ‚Michi quid vis?‘,  
inquit.“

Ad quem dixi:

„Surge, veni.“

Respondit:

„Nox est, permitte quiescam!“

Ymo dies est. Surge, [veni]!“

Respondit:

„Deus meus! En, ego surgo.

Vade, sequar.““

Nec me sequitur. Sic me decipit. Dixi:

„Et tu

non venies?“

Ait:

„Dudum venissem, sed michi vestes  
quero, sed non invenio.‘ Nichil est. <Te>, Birea, novi.  
Surge cito. ‚Magister, sum presto.‘ Nec [hoc] est tamen. Ymo  
vel caput huc illuc vertit, vel brachia scalpit,  
membra vel in longum distendit. Sic sibi quasdam  
undelibet morulas querit. Semper venit ore,  
non pede; sic veniens nunquam venit ipse; coactus  
forte movens gressu<m> trahit a testudine morum.“

Et propter hoc Yemps dixit:<sup>31</sup>

„Non veniat kukulus, sed nigris dormiat antris.“

Quem tamen Ver excitat dicens:<sup>32</sup>

„Opto meus veniat kukulus cum gramine leto.“

Sed, heu, magis paveo, quod duo locuntur de kukulo, scilicet Athus et Palemon. Hii duo pastores cantabant kukulo. Unde Palemon per commutationem *a* in *i* erit Pilemon, reponendo *Pil* ad Athus sonabit nobis et causabitur dicio Pilatus conposita, qui est noster determinans, ab hiis duobus pastoribus, scilicet Palemon corrupto et Atus integro, verissime nuncupatus. Ex quo videtur, quod non <ad honorem> vocandus, sed magis a premio removendus. Sed quia secundum regulam Aristotelis<sup>33</sup> e duobus malis minus malum est eligendum et bonum ex se est eligibile, ergo positis virtutibus et bonis condicionibus kukuli, qui est determinans, laudibus eius magis est inherendum et eligendum; propter quod Ver vel alma nostra facultas arcium sub forma Veris optative alloquitur nostrum kukulum inquiring: Veniat kukulus, clarissimus ales, que fuerunt verba vestris reverenciis pueriliter in principio preassumpta.

In quibus verbis duo brevissime ostenduntur: primo ad gradum dignitatis invitacio optativa, cum dicitur veniat kukulus: secundo gradus et dignitatis radicacio effectiva, quia clarissimus ales.

Dixi primo, quod in verbis thematis tangitur [primo] ad gradum dignitatis invitacio optativa, quia <veniat> kukulus. Non inmerito, cum secundum prius declarata kukulum multa bona insignia decorent, et presertim cum kukulus cibum et leticiam afferat, ut testatur Ovidius<sup>34</sup> de kukulo dicens:

„Nec te iam poteris ulla parte pascere tantu(m),  
ni kukulus tibi que veniunt alimenta ministret.“

Ecce plane leticiam et alimenta kukuli notificat, ymo <de> tempore kukuli ait Palemon:

„Pascua<sup>35</sup> sunt pecori, requies et dulcis in arvis,  
et virides rami prestant umbracula fessis.“

Quapropter subdit Palemon:

„Quapropter,<sup>36</sup> kukule, cicius nunc cito venito.“

Ecce, ad gradum dignitatis invitacio optativa. Et tantum de primo.

Dixi secundo, quod in verbis predictis ostenditur gradus et dignitatis radicacio effectiva, quia clarissimus ales. Re vera claritas est radix effectiva dignitatis et non claritas corporis vel non progenitorum cla(ro)rum, sed cla-

Et propter hoc Yemps dixit:<sup>31</sup>

„Non veniat kukulus, sed nigris dormiat antris.“

Quem tamen Ver excitat dicens:<sup>32</sup>

„Opto meus veniat kukulus cum gramine leto.“

Sed, heu, magis paveo, quod duo locuntur de kukulo, scilicet Athus et Palemon. Hii duo pastores cantabant kukulo. Unde Palemon per commutationem *a* in *i* erit Pilemon, reponendo Pil ad Athus sonabit nobis et causabitur dicio Pilatus composita, qui est noster determinans, ab hiis duobus pastoribus, scilicet Palemon corrupto et Atus integro, verissime nuncupatus. Ex quo videtur, quod non <ad honorem> vocandus, sed magis a premio removendus. Sed quia secundum regulam Aristotelis<sup>33</sup> e duobus malis minus malum est eligendum et bonum ex se est eligibile, ergo positis virtutibus et bonis condicionibus kukuli, qui est determinans, laudibus eius magis est inherendum et eligendum; propter quod Ver vel alma nostra facultas arcium sub forma Veris optative alloquitur nostrum kukulum inquiring: Veniat kukulus, clarissimus ales, que fuerunt verba vestris reverenciis pueriliter in principio preassumpta.

In quibus verbis duo brevissime ostenduntur: primo ad gradum dignitatis invitacio optativa, cum dicitur veniat kukulus: secundo gradus et dignitatis radicacio effectiva, quia clarissimus ales.

Dixi primo, quod in verbis thematis tangitur [primo] ad gradum dignitatis invitacio optativa, quia <veniat> kukulus. Non inmerito, cum secundum prius declarata kukulum multa bona insignia decorent, et presertim cum kukulus cibum et leticiam afferat, ut testatur Ovidius<sup>34</sup> de kukulo dicens:

„Nec te iam poteris ulla parte pascere tantu(m),  
ni kukulus tibi que veniunt alimenta ministret.“

Ecce plane leticiam et alimenta kukuli notificat, ymo <de> tempore kukuli ait Palemon:

„Pascua<sup>35</sup> sunt pecori, requies et dulcis in arwis,  
et virides rami prestant umbracula fessis.“

Quapropter subdit Palemon:

„Quapropter,<sup>36</sup> kukule, cicius nunc cito venito.“

Ecce, ad gradum dignitatis invitacio optativa. Et tantum de primo.

Dixi secundo, quod in verbis predictis ostenditur gradus et dignitatis radicacio effectiva, quia clarissimus ales. Re vera claritas est radix effectiva dignitatis et non claritas corporis vel non progenitorum cla(ro)rum, sed cla-

ritas virtutis et ingenii excellentis. Inducunt dignitatem teste Ovidio<sup>37</sup> De Ponto:

„Non census nec clarum nomen avorum,  
sed probitas magnos ingeniumque facit.“

Et subdit:

„Nobilitas<sup>38</sup> hominis virtutum clara propago.“

Propter quod dicit Aristoteles<sup>39</sup> 4<sup>o</sup> Ethicorum: „Secundum veritatem solus bonus honorandus est.“ Ecce, ponitur claritas virtutis pro fundamento adipiscende dignitatis.

Noster autem mox baccalarius se ingenii exercicio per sex annos exercuit, virtutum et morum honestate fulcivit, quia clarissimus ales et non ales corvus, qui cum pigris crocicans dicit: „Cras, cras,“ suple studebo, nec vultur aut strucio piger et pigwis nec irundo subito volans, una<sup>40</sup> estate non faciens ver, sed kukulus clarissimus, quem vocat Ver, ut in themate: Veniat cuculus, clarissimus ales, et quem extollit Palemon dicens:<sup>41</sup>

„Tu iam dulcis amor, cunctis clarissimus ales.

Omnia <te> expectant, pelagus tellusque polusque.“

Te ergo expectavit dignitas, kukule, scilicet Martine.

„Dulce decus, kukule, salve, per secula salve!“

Salve ergo accipiendo gradus baccalarii, quos ego tibi confero auctoritate etc.

<sup>1</sup> Cf. J. Werner, Lateinische Sprichwörter m 20, B. Hauréau, Notices et extraits des manuscrits XXVIII, 2. partie, p. 431 <sup>2</sup> Alanus ab Insulis, Liber paraboliarum, cap. 5 (PL 210, c. 589 D) <sup>3</sup> Non inveni <sup>4</sup> Cassiodorus, Variarum I, V, 27, 2 <sup>5</sup> Pseudo-Ovidius, Conflictus Veris et Hiemis (PL 121, c. 983) <sup>6</sup> Ibidem <sup>7</sup> Ibidem <sup>8</sup> Ibidem <sup>9</sup> Ibidem <sup>10</sup> Ibidem <sup>11</sup> Ibidem <sup>12</sup> Catonis Disticha IV 27 <sup>13</sup> Pseudo-Ovidius, ibidem <sup>14</sup> Godefrid of Winchester, Epigr. 180, 1—2 (ed. Wright II, p. 132) <sup>15</sup> Non inveni <sup>16</sup> Non inveni <sup>17</sup> Pseudo-Ovidius, ibidem <sup>18</sup> Non inveni <sup>19</sup> Gualteri de Castellione Alexandreis I (PL 209, c. 466 C); cf. Hus, Quere quid sit virtus (p. 72), Quere bonos mores (p. 63) <sup>20</sup> Pseudo-Ovidius, ibidem <sup>21</sup> Non inveni <sup>22</sup> Ovidius, Ars amatoria I 595 <sup>23</sup> Ovidius, Metamorphoses II 534 <sup>24</sup> Vergilius, Bucolica II 17—18 <sup>25</sup> Catonis Disticha II praef. v. 2 <sup>26</sup> Horatius, Epistulae I 7, 29—34 <sup>27</sup> Ibidem v. 31 <sup>28</sup> Ibidem v. 32—34 <sup>29</sup> Pseudo-Ovidius, ibidem <sup>30</sup> Galfridus de Vno Salvo, Poetria nova, v. 1366—1380 <sup>31</sup> Pseudo-Ovidius, ibidem <sup>32</sup> Ibidem <sup>33</sup> Aristoteles, Eth. Nic. V 7, p. 1131 b 22 = Beda, Sententiae ex Aristotele excerptae (PL 90, c. 1015 B); cf. Hus, Quodlibet (Ryba p. 55, 56), Serm. in Bethl. 7 (Flajshans I 47) <sup>34</sup> Pseudo-Ovidius, ibidem <sup>35</sup> Ibidem <sup>36</sup> Ibidem <sup>37</sup> Ovidius, Ex Ponto I 9, 39—40 <sup>38</sup> B. Hauréau, Notices et extraits III, p. 305 <sup>39</sup> Aristoteles, Ethica Nic. IV 8, p. 1124 a 25 <sup>40</sup> Aristoteles, Ethica Nic. I 6, p. 1098 a 18; cf. Hus, Fulget virtute modestus (p. 52) <sup>41</sup> Pseudo-Ovidius, ibidem